



HORACE.

Wiedel.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE



DE HORATIO POETA PHILOSOPHO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE JENENSI

IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS WIEDEL.

HILDESIAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA LAXIANA.
MDCCCLXXV.

1882, July 6.
Subscription fund.



De Horatio poeta philosopho.

Philosophiae studium apud Romanos, quum a propria ipsorum natura alienum esset, diu neglectum, secundo demum a. Chr. saeculo latius manasse constat. Quum enim anno 155 tres illi philosophi, Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, Diogenes Stoicus ab Atheniensibus legati ad senatum missi publice Romae verba facerent frequenterque audirentur, [1]) summum inter juventutem maxime Romanam philosophiae graecae studium exarsit. Permulti ex illo tempore rethores ac philosophi graeci Romam confluxerunt, paullatimque omnes philosophiae graecae disciplinae apud Romanos pervulgabantur. Quum deinde Ciceronis potissimum opera „litterarum quoque latinarum lumen," ut ipsius verbis [2]) uti mihi liceat, accederet, factum est, ut extremis reipublicae Romanae temporibus, quicunque litteris paullo eruditiores erant, philosophiae quoque graecae aliquam notitiam haberent. Quin imo moris erat illis temporibus, ut nobiles juvenes Romani eruditionis suae excolendae et perpoliendae causa Athenas se conferrent, [3]) in „domicilium illud studiorum" [4]) atque patriam, ut ita dicam, omnis philosophiae. Sic Horatius quoque juvenis, aetatis suae morem secutus, quum prima educatio Romae esset perfecta, ut ipse nobis narrat [5]), Athenis philosophiae studio sese dedidit.

1) cf. Cic. de or. II, 37, 155.
2) Tusc. I, 3, 5.
3) Ut Cicero, Messala, Ovidius, permulti alii.
4) Cic. de or. III, 11, 43.
5) epist. II, 2, 43 sqq.

Ac quum juvenis ibi „inter silvas Academi verum quaesivisset," ne postero quidem tempore illud studium dimisisse videtur, neque immerito a Lessingio nostro[1]) philosophum poetam eum appellari putaverim. Saepissime enim in carminibus suis philosophiae eum rationem habuisse videmus, et quanto magis venientibus annis a „lyra jocosa[2])" abhorruit, tanto magis in epistolis ad amicos scriptis, suam in philosophia rationem exponit, id quod ipse disertis verbis dicit epist. II, 2, 141 sqq.:

„Nimirum sapere est abjectis utile nugis
Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae."

Si vero quis quaesiverit, quibusnam in quaestionibus philosophia Horatiana versetur, ex carminibus ejus intelligitur, eum maxime ea philosophiae praecepta respicere, quae ad vitam bene beateque agendam pertinent, i. e. maxime eum ethicae operam dare. Sic ipse loco supra jam laudato Athenis se versatum esse narrat, „ut posset curvo dignoscere rectum,"[3]) et quum de vita sua loquitur, quam cum amicis in Sabino suo agat, haec dicit:

„Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
Nec male necne Nepos saltet, sed quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus, utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati,
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos,
Et quae sit natura boni summumque quid ejus."[4])

---

1) Rettung des Horaz IV pag. 10 ed. Lachm.

2) carm. III, 3, 69.

3) Eodem sensu hoc dictum est, quo sat I, 6, 63 »turpi secernis honestum.«

4) sat. II, 6, 71 sqq.

Et simili modo alio loco legimus:

„Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono;
Quid verum atque decens curo, et rogo et omnis in hoc sum [1]).“

In omnibus igitur illis, quos attuli, locis, quo e genere etiam plures afferre possum, claris atque distinctis verbis Horatius dicit, se imprimis id cognoscere studere, quomodo ad vitam bonam beatamque homines pervenire possint. Neque tamen equidem negaverim, aliarum quoque philosophiae quaestionum, non ad ethicam sed ad physicam pertinentium, eum rationem habuisse, quamquam ejusmodi res strictim tantum et quasi in transitu tactas esse videmus.

Quodsi ex iis, quae antea diximus, Horatium philosophiae, et quidem maxime quaestionibus ethicis, aliquid momenti tribuere apparet, haud alienum esse videtur, quaerere, quamnam ex iis, quae tum florebant, philosophorum disciplinis, secutus sit. Ac saepenumero quidem haec res ab hominibus doctis in quaestionem vocata est, sed tantum abest, ut omnes, qui in ea tractanda operam collocarunt, ad eandem sententiam pervenerint, ut aliis Horatius Stoicorum, aliis Epicureorum, aliis Academicorum disciplinam secutus esse videatur. Qua in re illud mirum videri potest, quod omnes illi homines docti ad confirmandas suas sententias, tantopere inter se diversas, eadem Horatii ipsius poemata adhibeant ejusque ipsius verba argumenta afferant. Sed quod Wielandius jam monet [2]), plurimos Horatii interpretes in eo errare, quod omnia, quae poëta dicat, serio dicta esse putent, saepeque parum respiciant, qua ratione ac mente quove animo dicta sint, etiamnunc recte sese habere mihi videtur. Procul dubio in philosophia Horatiana dijudicanda id semper tenendum est, eum neque certa

---

1) epist. I, 1, 10 sqq.
2) cfr. annot. 4 ad epist. I, 1, 10.

quadam via ac ratione philosophiae studio operam navasse neque ullam philosophorum sectam proprie esse secutum. Cognovit enim ille quidem, ut erat vir quavis liberali doctrina politus, omnes philosophorum disciplinas et praecipue eas, quae tunc temporis maxime apud Romanos florebant, sed si quando philosophiae praecepta poematis suis inserit, ita iis utitur, ut inferiora ea semper artis poeticae rationibus habeat [1]). Quamobrem si quis sine certis quibusdam destinatisque sententiis carmina Horatii legerit, sibi persuadeat necesse est, nunquam eum in ullius philosophi partes omnino transire, sed revera eum esse, quod ipse se esse dicit [2]), „nullius addictum jurare in verba magistri.“

Nobis igitur, quum in animo sit, de philosopho Horatio disserere, et quid ipse de iis, quae ad philosophiam pertinent, quaestionibus senserit, exponendum erit, et de ratione agendum, quae inter ejus sententias atque Stoicorum et Epicureorum intercedere videatur. Hae enim solae philosophorum sectae hac in quaestione respiciendae sunt [3]), quum ipse earum tantum rationem habeat atque in iis toto ejus philosophia nitatur, ut ex ipsius verbis elucet, quae epist. I, 1, 16 leguntur:

„Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles,
Nunc in Aristippi [4]) furtim praecepta relabor
Et mihi res, non me rebus subjungere conor.“

Minus diligenter si quis Horatii poemata legat, facile eo adduci possit, ut eum a Stoicis omnino alienum esse

---

1) cf. Weber, Horaz als Mensch und Dichter, pag. 33.

2) epist. I, 1, 14.

3) cf. Teuffel, Hist. litt. Rom., pag. 436.

4) Aristippum Cyrenaicum dicit, quem Epicurum auctorem secutum esse constat.

putet, qua in re duo maxime carmina digna sunt, quae accuratius inspiciantur. Sat. II, 3 enim Horatius ridiculum quendam loquacem, Damasippum, inducit, Stoicorum praecepta tradentem. Fuerat ille mercator, sed quum „omnis ejus, ut ipse dicit, [1]) res medium ad Janum fracta esset," ad philosophiam Stoicam confugerat, qua rebus adversis solacio uteretur. Qui Saturnalium Festo Horatium, in Sabino suo versantem, adit, objurgaturus illum, quod tam diu artem poeticam neglexerit. Mox vero quum sermo incidat in sententiam illam Stoicorum, praeter sapientes omnes homines esse stultos atque insanos, [2]) Damasippus multis verbis Stoicorum praecepta exponit, quae nuper demum ipse a Stertinio [3]) quodam Stoico accepit. Qua in satira omnis ratio dicendi, qua Damasippus utitur, ridendus ille fervor, quo sapientiam suam ostentare studet, summa denique totius sermonis, ex quo efficitur, omnes homines exceptis Stoicis insanire, ab Horatio consilio instituta esse videntur ad illudendam illam Stoicorum superbiam, qua Horatii temporibus virtutem suam prae se ferre solebant. Optime comparari potest cum hoc carmine ejusdem libri sat. 7, de qua idem fere dicendum est. Exponit enim in ea Davus quidam, Horatii servus, Stoicae sapientiae praecepta, et ipse in Saturnalium festo, [4]) eodemque, illo nimio, quo Damasippus, ea in re studio utitur. Quae duo carmina plane ab Horatio ea mente composita esse videntur, ut Stoicorum philosophiam in risum verteret ac ludibrio haberet. Sed ne in aliis quidem carminibus desunt loci, quibus Horatius philosophos Stoicos, qui tum maxime

[1]) l. l. v. 19.

[2]) cf. Diog. Laert. VII, 124 πᾶς ἄφρων μαίνεται. Cic. Parad. IV, 27.

[3]) cf. epist. I, 12, 20 »Stertinium acumen.« — Permulta illum de Stoicis scripsisse scholiasta testatur.

[4]) De quo cf. Preller, Mythol. II, pag. 341 sqq.

florebant, perstringat. Sic Fabium philosophum sat. I, 1, 14 loquacem appellat, ac si sat. I, 2, 134 scholiastae fidem habere licet, ad eundem Fabium verba illa spectant, in fine ejus carminis posita: „Fabio vel judice vincam," quibus Horatius in Fabium judicium transfert in re quadam a vero Stoico alienissima. Eodem modo Stertinium Stoicum Damasippus sat. II, 3, 296 sqq. sapientum octavus" appellat et in ejusdem carminis alio versu de eo dicitur: „si quid Stertinius veri crepat."[1]) Non sine causa praeterea Crispinus Stoicus, qui tanta cum loquacitate atque ostentatione philosophiam Stoicam suam venditare ac de virtute praecipere solebat, ut cognomen ἀρεταλόγος sibi comparasset[2]) sat. I, 1, 120 „lippus" nominatur, quod non ad corporis solum sed etiam ad animi oculos referendum esse videtur, siquidem conclusionem facere licet ex loco, qui est sat. I, 1, 139 ubi „ineptus" appellatur, et ex alio, qui invenitur sat. I, 4, 14 sqq., ubi Horatius de arte ejus versuum componendorum dicit. Quamvis autem poëta, ut ex locis, quos attulimus, apparet, saepissime ridiculos Stoicae disciplinae sectatores perstringat, tamen nihilo secius de hominibus Stoicis vere egregiis semper magna cum admiratione ac verecundia loquitur. Sic Panaetio, uni ex nobilissimis Stoicis et Africani minoris Laeliique familiari, honorificum cognomen „nobilis"[3]) attribuit. Quantaque deinde cum admiratione Catonem Uticensem saepius commemorat, quem reipublicae Romanae temporibus summa apud Stoicos Romanos auctoritate floruisse constat! Quem carm. I, 12, 35 inter viros maxime excellentes prae-

---

[1]) sat. II, 3, 33. Eodem sensu illud »crepare« usurparit epist. I, 7, 84. A. P. 247.

[2]) cf. Krüger ad sat. I, 1, 120.

[3]) carm. I, 29, 14.

dicat, Romulum, Numam, Regulum, Scaurum, ubi „nobile ejus letum“ admiratur, ut carm. II, 1, 24 „atrocem ejus animum.“ Ut igitur Stoicos, nomine illo indignos, saepius in poëmatis suis carpit, sic viros revera Stoicos maxime veneratur, quum propria illorum praecepta, ut infra videbimus, omnino probet. Deinde ex alio quoque argumento, atque illo quidem haud ita levi, elucet, Horatium Stoicis alienum non fuisse Haud minus quam Stoicorum, Epicureorum quoque disciplinae permulti homines minime philosophi sese addixerant, atque ii aeque atque Stoici ab Horatio irridentur. Pertinet huc sat. II, 4, qua perversa eorum, qui tunc vivebant, Epicureorum libido exagitatur. Inducitur in eo carmine Catius quidam, qui magno cum studio magnaque cum gravitate artis culinariae mensaeque bene instruendae praecepta tradit. Qui Catius sive est ipse ille Epicureus, qui a Cicerone [1]) et Quintiliano [2]) commemoratur, sive non est, tamen scholiasta Cruquianus haud errare videtur, qui Catium nostrum Epicureum fuisse dicit rei culinariae studiosissimum. Irridet igitur hoc carmine omnes illos homines stultos ac perversos, qui, quum vera Epicuri doctrina non satis intellecta summam vitae felicitatem in „cute bene curanda“ [3]) ponerent, illius disciplinam ad Cynicorum humilitatem redigebant. Neque hoc loco praetermittenda videtur sat. II, 8, quae optime comparari potest cum eo, de quo supra jam egimus, carmine, sat. II, 7. [4]) Loquentem enim ibi facit Horatius Nasidienum quendam, quam divitiis abundantem tam omni humanitate carentem, qui summum

---

1) Cic. fam. XV, 16, 1.

2) Quint. Inst. or. X, 1, 125.

3) epist. I, 4, 15.

4) cf. Kirchhoff, Progr. Gymn. Joseph. Hildes. 1873, pag. 4.

momentum et ipse in edendo ac bibendo ponit, eoque absurditatis procedit, ut praestantiam ciborum, qui in cena appositi sunt, coram convivis laudibus extollat, ita ut omnis sermo, qui super cenam agitur, de voluptatibus epularum ipsis sit, studiumque demonstret Nasidieni, ostentandi divitias atque suam in epulis apparandis et exstruendis elegantiam.[1]) Apparet igitur, Horatium neque in Stoicorum neque in Epicureorum verba jurare, sed sine ira et studio, quidquid in utraque disciplina modum excedere videbatur, reprehendere. Sed quo accuratius ac melius, quid de utriusque sectae praeceptis senserit, intelligere possimus, sententias ejus, et quod ad physicam et quod ad ethicam attinet, diligentius examinemus easque cum philosophorum illorum praeceptis comparemus oportet.

Ac primum quidem, quam de Dis opinionem habuerit, quaerendum esse videtur. Qua in re etiamsi quis cursim modo, ut ajunt, Horatii libros transierit, concedet, religionem vulgi uberrimam ei ad carmina componenda copiam suppeditasse. Si enim lyrica ejus carmina perlustramus, hymnos in singulorum Deorum honorem eum composuisse videmus, ut carm. I, 11 et III, 11 in Mercurium, I, 21 in Dianam et Apollinem, Latonae liberos, I, 30, III, 36, IV, I in Venerem, I, 31, IV, 6 in Apollinem, I, 35 in Fortunam, II, 19 et III, 25 in Bacchum, quem in numerum notissimum quoque illud carmen saeculare referri potest. Saepissime praeterea in carminibus ejus rerum ex mythologia desumptarum mentionem factam esse constat. Nihilo tamen secius negari nullo pacto potest, eum religioni vulgi non eadem, qua vulgus imperitum, cum simplicitate ac credulitate deditum fuisse, ita ut sententiae ejus in nonnullis

---

[1]) cf. Krüger ad sat. II, 8 praef.

ejusmodi rebus ratione potius quam fide niti videantur. Cujus rei exemplum afferre liceat, quod in nominibus Deorum adhibendis saepe non tam religionis quam artis poëticae rationem habet; quod ex iis maxime locis apparet, quibus se ope Dei cujusdam a morte servatum esse narrat, quae arbore concidente ei impenderat. Carm. II, 17, 28 enim Faunum, custodem Mercurialium virorum, ictum fatalem a se defendisse, carm. III, 4, 27 Musas amicum suum ex morte eripuisse dicit, carm. III, 8, 8 autem Bacchus vindex periculi praedicatur. Quin etiam ubi artis poëticae rationes id postulare videntur, ne dubitat quidem, vel talium fabularum mentionem facere, quibus offensionis aliquid inest, quo ex genere, ut alia omittamus, unum illud attulisse sufficiat, quod carm. I, 10, 9 sqq. in hymno, qui in Mercurii honorem compositus est, fabula de furto illius non reticetur. Et quod ad Deorum imagines attinet, tantum abest, ut secundum vulgarem opinionem eas colendas esse existimet, ut nihil aliud eas esse persuasum habeat, quam quod revera erant lapides aut ligna. Quod intelligere licet ex sat. I, 8, 2, ubi fabri arbitrio poëta permittit, utrum ex trunco ficulno, „inutili ligno," scamnum ille, an Priapum facere velit. Verumtamen Deos precibus ac sacrificiis venerandos esse concedit, ita tamen, ut non ex copia et pretio muneris oblati dignitas sacrificii pendeat, sed ex animo ac mente ejus, qui illud offert. Quam sententiam optime exponit carm. III, 23, quo Phidylam, puellam rusticam, de exiguitate munerum suorum sollicitam consolatur. Cujus carminis egregios liceat extremos versus afferre, in quibus apertissime illa Horatii, quam modo exposuimus, sententia inest:

„Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos penates
Farre pio et saliente mica."

Id quoque deinde Horatius sibi persuasit, numine aliquo divino res humanas regi atque administrari, ac si quid ad naturam revocari nequit, Deos ipsos intercessisse putandos esse censet. Qua cum sententia pugnare videtur, quod ipse sat. I, 5, 101 sqq. dicit:

... „Namque deos didici securum agere aevum
Nec si quid miri faciat natura, Deos id
Tristes ex alto coeli demittere tecto.“

Putaverunt nonnulli ex his verbis concludi posse, Horatium eodem modo quo Epicurum [1]) providentiam divinam negavisse, sed hoc ita se non habere, si totum sententiarum nexum perspicimus, apparere videtur. Narrat enim Horatius in itinere illo Brundusino, quod cum Maecenate nonnullisque amicis fecit describendo, Egnatiae [2]) sacerdotem sibi persuadere studuisse, tura in limine templi imposita sine igne liquescere et quidem Deorum ipsorum ope. Non tam credulus sane vulgique superstitionibus adeo imbutus erat Horatius, ut, etiamsi de divina providentia non dubitaret, tale prodigium fieri posse crederet resque tam leves Dis immortalibus curae esse putaret, nec mirum igitur, quod exclamat: Credat Judaeus Apella non ego. [3]) Ex multis aliis quoque locis efficitur, quam longe poeta noster afuerit, ut omnibus illis prodigiis ac miraculis, quae vulgus imperitum revera esse putabat, fidem haberet, quorum commemorare liceat sat. I, 9, 29, ubi aequo animo se ineptiis garruli illius hominis necari expectat et cum ficta quadam gravitate verborum illorum mentionem facit, quae

1) Ante oculos vel certe in mente habuisse videtur Horatius versus Lucretii, de rer. nat. V, 82, VI, 58 ubi iisdem fere verbis dicitur: »nam bene qui didicere deos securum agere aevom.«

2) Sermone vulgi Gnatia illa urbs appellabatur, quod nomen Hor. quoque usurpavit.

3) cf. Kirchhoff, l. l. pag. 9.

... „Puero cecinit divina mota anus urna:
Hunc neque dira venena nec hosticus anferet ensis,
Nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cumque; loquaces,
Si sapiat, vitet, simulatque adoleverit aetas."

Nihilo tamen minus ut supra jam diximus, Deos rebus humanis consulere putavit, quod permultis exemplis, ex carminibus ejus desumptis, confirmari potest. Jovem enim, eum esse censet

...„qui res hominum ac Deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis." [1])

similique modo alio quodam loco de eodem Jove haec dicit:

„Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia,
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo." [2])

Atque quum a Dis res humanae regantur et administrentur, non caeco cuidam fato, sed immutabili supremi numinis consilio, ipsorum hominum culpa praeparato, quaecunque hominibus accidunt, sunt tribuenda. Omnium igitur, quibus respublica Romana afficitur, calamitatum Deorum adversus urbem ira causa putanda est, „nec quidquam tristes querimoniae prosunt, si non supplicio culpa reciditur." [3]) Delicta majorum Romanis luenda sunt, donec collapsa Deorum templa refecerint[4]) ac scelus Romuli, qui fratrem occidit, semper in posteris haerebit „cruorque Remi

1) carm. I, 12, 14 sqq.
2) carm. III, 4, 45 sqq.
3) carm. III, 24, 33 sqq.
4) epod 7. fin.

sacer factus est nepotibus." [1]) Nec reipublicae solum, verum etiam singulorum hominum sors Dis immortalibus curae est. Sic improbis Deorum poena insistit, et quamvis saepe claudo eos pede sequi videatur, tamen raro abire eos inultos patitur, insontibusque cavendum est, ne quam cum sceleratis hominibus societatem habeant, nam

........„saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum,
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede poena claudo." [2])

Quum igitur Horatio persuasum sit, Deos rebus humanis consulere, opus quidem ei esse videtur, eos coli iramque eorum, quantum fieri possit, placari, sed nihilo minus haudquaquam probat timorem illum Deorum, quo plerique ea aetate adeo erant imbuti, ut ineptissima ad Deos placandos vota facerent. [3]) Ac quum Horatius epist. I, 6, 3 esse dicat:

„Hunc solem et stellas et decedentia certis
Tempora momentis ... formidine nulla
Spectent,"

qui igitur corpora naturalia viresque a natura ortas haec esse, neque quidquam divini in iis, ut vulgus imperitum, inesse putent, ipse procul dubio in hoc numero habendus est. Immerito autem nonnulli eam opinionem habere mihi videntur, ut censeant, Horatium non semper unum idemque de Deorum natura et de religione vulgi sensisse, sed quum in juventute Epicureorum rationem secutus Deos

---

1) carm. III, 6 in.

2) carm III, 2 extr.

3) cf. sat. II, 3, 288. Augebatur perversus ille ac superstitiosus Deorum timor eo maxime, quod Judaeorum cultus tunc temporis latissime Romae pervulgabatur. cf. Krüger ad l. l.

omnino mundo providere negaverit, postea appropinquante senectute eum sententias vulgi ac Stoicorum esse amplexum. Nituntur ii, qui hoc censent, loco illo, quem supra jam attulimus, sat. I, 5, 101 sqq., ubi Horatius distinctis verbis dicit, se miraculo illi turis sine igne liquescentis fidem non habere ac liberrime sententiam illam Epicureorum profert, „Deos securum agere aevum.“ Qui locus procul dubio inter eos habendus est, de quibus Wielandii dictum, supra laudetum, valet, interpretes omnia, quae poëta dicat, nimis serio dicta esse putare neque satis respicere, quo animo et qua mente dicta sint. Maxime autem, sententias suas de Dis ac de vulgi opinionibus Horatium mutasse demonstrare volunt ex celebri illo carmine I, 34, quo poëta narrat, se, antea „parcum Deorum cultorem et infrequentem,“ subito fulmine, a Jove e coelo sereno misso, a negligentia sua Deorum eorumque cultus summa vi abreptum et ab „erroribus insanientis sapientiae“ ad venerandam Deorum potentiam revocatum esse. Jam Lessingius [1]) prolixius de hoc carmine egit, omnique ex parte, quae ille de hac quaestione statuendum esse censet, mihi probantur. Dicit enim ille, Horatium in eo, de quo agimus, carmine componendo neque Stoicorum neque Epicureorum rationem habuisse, profluxisse potius illud ex motibus, quibus poeta, tempestate subito coelo sereno orta affectus sit. Unamquamque enim rem, quamvis ex ipsa prorsus natura profectam, si praeter opinionem accidat, vel fortissimi animi hominem paullisper quodammodo perturbare posse. Minime igitur mirum esse, Horatium, tali perturbatione affectum, sublimia quaedam et magnifica sensisse nonnullisque verbis animi sui sensum expressisse. Sed aliis quoque de causis fieri non posse videtur, ut ex illo carmine concludamus, Horatium casu illo

1) Rettung des Horaz in fine.

commotum a sua de Dis opinione decessisse. Haud enim dubie carmen I, 34 circa annum 730 compositum est neque minus verisimiliter epistola I, 6 circa annum 731 aut 732. Nihilo tamen secius versibus 3—5 illius epistolae, jam supra allatis, quibus motus siderum certis naturae viribus tribuendos esse dicit, „insanienti illi Epicureorum sapientiae“ sese deditum esse demonstrat, quam duobus ante annis eum renuntiasse dicunt.

Sed sufficere haec videntur ad cognoscendam Horatii de religione vulgi et de Deorum natura ac cultu opinionem. Quam si cum Stoicorum et Epicureorum sententiis comparaverimus, eum neutram disciplinam his in rebus omni ex parte secutum esse apparebit. Non abhorrebat ille quidem, ut supra vidimus, a vulgari de Dis opinione, neque tamen a se impetrare poterat, ut omnia religionis illius praecepta omnesque superstitiones agnosceret. Quantopere igitur ab Epicuro differt, qui non dubitavit, quin omnes vulgaris religionis sententias perversas omnino et pravas haberet, aperteque diceret, non eum, qui religionem istam tollere et evertere studeret, scelus in se admittere, sed qui eum profiteretur! [1]) Quid, quod Lucretius, Epicuri sectator, gravem eam religionem dicit [2]) Grajumque hominem, i. e. Epicurum, laudibus tollit, qui primus eam impugnare ausus sit, ita ut „religio pedibus subjecta vicissim obteratur, homines victoria coelo exaequet.“ [3]) Quamquam autem Horatius religionem vulgi cum observatione quadam colit eaque in re Stoicorum sententiam sequitur, tamen non ita cum Stoicis consentit, ut, quod illi studebant, religionem philosophiae consentaneam reddere conetur. Vulgares de Dis opiniones ex poe-

1) cf. Diog. Laert. X, 123.
2) Lucr. de ver. nat. 1, 63.
3) Ibid. I, 66 sqq.

tarum cogitationibus orta fictaque esse persuasum habet, qua ex re id quoque intelligitur, quod in carminibus suis lyricis, liberiore modo compositis, saepius earum mentionem injicit, quam in epistolis, quae cum gravitate quadam ac severitate scriptae sunt. Quod deinde supremum aliquod numen esse putat, quo mundus regatur atque administretur, Stoicorum haec quidem sententia est, sed nec hac quidem in re omni ex parte cum iis congruit. Stoici enim „mundum deum dicebant esse, et ejus animi fusionem universam,“ [1]) cujus sententiae nullum in Horatii carminibus invenimus vestigium. Quae denique de siderum motu dicit, Epicureorum praeceptis consentanea esse supra jam vidimus.

Non plane ad idem perveniemus, si, quae Horatii de hominibus, de societate humana, de anima opinio fuerit, accuratius perspexerimus. Qua in re idem fere eum sensisse videbimus, quod Epicurum, qui suas his in rebus sententias a jonicis, quos dicunt, physiologis mutuatus erat. Ante omnia hac in quaestione adhibendus esse videtur locus, qui est sat. I, 3, 98, ubi de origine et progressione generis humani Horatius loquitur. Miram ille locus similitudinem prae se fert cum iis, quae Lucretius V, 780 sqq. dicit. „Mutum et turpe pecus“ homines primis terris prorepserunt, statimque certamen inter eos exarsit „propter glandem et cubilia,“ pugnabantque primo unguibus et pugnis, deinde fustibus, denique usu docti, armis. Postremo verba et nomina invenerunt ad exprimenda ea, quae sentiebant et cogitabant; a bello destiterunt, urbes condere legesque dare coeperunt „ne quis fur esset neu latro neu quis adulter.“ Jus igitur Horatius, ut Epicurus, [2]) ex convento quodam

1) Cic. nat. Deor. I, 15, 39. cfr. Diog. Laert. VII, 147 *τὸ μέρος τοῦ θεοῦ τὸ διῆκον διὰ πάντων.*

2) Diog. Laert. X, 36.

hominum ductum esse putat, quod fecerint ad suam quisque vitam atque rem familiarem tuendam, ut omnino societate quadam inter se juncti communiter vivere potuerint. Quae sententia prorsus aliena est a Stoicis, quos *τὸ δίκαιον φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει* [1]) sibi persuasisse constat. Horatius potius Epicureorum modo „utilitatem justi prope matrem et aequi“ esse putat, id quod etiam uberius exponit in eodem carmine v. 111—114, ubi haec leguntur

„Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi;
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis fugienda petendis.“

Epicureorum deinde doctrinam redolent, quae Horatius de anima humana censere videtur. Epicuri enim sententia, [2]) qui hac in re Democritum sequebatur, mundus universus, animae non minus quam corpora, ex atomis constabat; nam nisi ex eadem anima et corpus materia orta essent mutuam inter se vim exercere non possent. Quum igitur morte et anima et corpus deleatur, mors sapienti timenda non est, quum sensum ejus nullum habeat, id quod Lucretius [3]) his verbis dicit:

„Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur.“

Quae Horatii quoque sententia fuisse videtur. Nam ubicunque de morte loquitur, tranquillitatem quandam animi atque aequitatem prae se fert, ut decet philosophum, neque usquam in carminibus ejus significatum videmus, eum de immortalitate animarum cogitasse, nisi quod hominum

1) Stob. Ecl. phys. II, 7, pag. 184.
2) cfr Zeller, Philos. graec. III, 1, pag. 385 sqq.
3) III, 828 sqq.

rebus praeclare gestis insignium apud posteros memoriam retineri saepius dicit. In natura quidem omnia renovantur; vere appropinquante „diffugiunt nives, redeunt gramina campis arboribusque comae,“ [1]) „frigora mitescunt zephyris ver proterit aestas, interitura, simul pomifer auctumnus fruges effuderit, et mox bruma recurrit iners“ [2]) sed „damna celeres reparant caelestia lunae.“ [3]) Alia autem est hominis condicio, nam

„Nos ubi decidimus
Quo pater Aeneas quo dives Tullus et Ancus
Pulvis et umbra sumus“. [4])

Simili modo epist. I, 6, 27 Numicium a studio divitiarum, gloriae, ceterorum hujus vitae bonorum eo revocare studet, quod nihil ei restare monet, nisi „ire, Numa quo devenit et Ancus.“ Itaque quum mortem neminem effugere posse constet, saepius, quum de ea loquitur, tempore praesente laete utendum esse addit, quandoquidem mors omnium rerum usum praeripiat. Sic carm. I, 4, 14 his verbis Sestium monet:

„Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. O beate Sesti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox fabulaeque manes
Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere“ e. q. s.

Quibus similia sunt, quae carm. I, 11 Leuconoae dicit:

---

1) carm. IV, 7 in.
2) ibid 9 sqq.
3) ibid 13.
4) ibid v. 14 sqq.

„Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem di dederint....
Dum loquimur, fugerit invida
Aetas; carpe diem quam minimum credula postero."

Memorandus quoque videtur ille locus, quo Vergilium poetam de morte Quintilii Vari, communis utriusque amici consolari studet. [1]) Quintilium dicit, perpetuus sopor urget:

„Multis ille bonis flebilis occidit
Nulli flebilior quam tibi, Vergili.
Tu frustra pius heu non ita creditum
Poscis Quintilium Deos."

„Durum hoc quidem est, sed levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas." Ne pervulgatissimis quidem illis de Manibus lemuribusque opinionibus deditus esse videtur; nam Manes carm. I, 4, 16 fabulas dicit, i. e. qui non sunt, et epist. II, 2, 209 ab eo qui vere sapientem se haberi vult, postulat ut „rideat nocturnos lemures, i. e. fabulas illas ineptas de animis mortuorum, qui in terram redire dicebantur, quod aliqua de causa quietem capere non possent. Ea autem in re prorsus Romanam prae se fert naturam, quod hominibus claris magnasque res exsecutis perpetuam apud posteritatem memoriam promittit. Sic Romulus Aeacusque immortales fiunt lingua potentium vatum, nam

„Dignum laude virum Musa vetat mori,
Caelo Musa beat. [2])

Quam immortalitatem, quae in aeterna posterorum memoria cernitur, poeta quoque verus assequetur; monumentum enim ille aere perennius sibi exigit, [3]) et etiamsi sit

1) carm. I, 24.
2) carm. IV, 8, 25 sqq.
3) carm. III, 30, 1.

„pauperum sanguis parentum, nunquam obibit nec Stygia cohibebitur unda.“ [1]) Quo fit, ut etiam honores sepulcri, quos vulgus tunc temporis plurimi aestimabat, pro nihilo Horatius faciat, ac his verbis Maecenatem, fautorem suum atque amicum moneat:

„Absint inani funere neniae,
Luctusque, turpes et querimoniae;
Compesce clamorem ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.“ [2])

Congruunt haec cum Epicuri sententia „τὸν σοφὸν οὐ δε τῆς ταφῆς φροντιεῖν, [3]) quae etiam Maecenatis ipsius erat, qui ap. Senec. epist. 92 et ipse dicit: „Non tumulum curo, sepelit natura relictos.“

Quodsi ea, quae hucusque de physicis Horatii rationibus diximus, recte disputata sunt, apparet, eum his in quaestionibus e fontibus aliorum, praecipue Stoicorum et Epicureorum hausisse quidem, sed suo semper judicio atque arbitrio, ut decebat virum, qui se „nullius addictum jurare in verba magistri“ esse dixit. [4]) Ac quum ea, quae de numine divino, de ratione, quae inter illud mundumque intercedit, de mundi administratione censet, Stoicorum magis sententiis accommodata sint, de origine et progressione generis humani et de animae natura idem fere, quod Epicurus, statuisse videtur. Neque tamen hoc loco omittendum est, quod supra jam monuimus, naturalem, ut ita dicam philosophiam, si omnino illa in poetam cadit, ab Horatio in carminibus componendis fere negligi; obiter tantum ille eas

---

[1]) carm. II, 20, 5.
[2]) ibid fin.
[3]) Diog. Laert. X, 118.
[4]) epist. I, 1, 14.

res attigit, ubi ratio artis poeticae postulare videbatur, aut ad ethica praecepta exponenda eas opus esse putabat, quum de gravissimis philosophiae naturalis quaestionibus, de extremis omnium rerum causis, de mundo, de terra, de elementis nusquam suam proferat sententiam. Feracior igitur atque uberior erit quaestio de ethicis Horatii sententiis ac de ratione, quae hac in re inter eum et Stoicos Epicureosque intercedat. Quam ad quaestionem jam transire lubet.

„Quae sit natura boni summumque quid ejus" Horatius sat. II, 7, 76 quaerit, adque eam quaestionem solvendam omnia fere ejus in philosophia studia pertinent, compluribusque locis quid de ea senserit, in poematis ejus prolatum esse videmus. Id unicuique homini per totam vitam Horatius agendum esse putat, ut animus cum corpore concors congruensque sit, quum omnis vel animi vel corporis morbus discrepantia quaedam naturae habenda eaque de causa omni studio vitanda sit. Quaeritur autem, quomodo hoc fieri possit. Atque ante omnia hac in re tenendum esse putat, non iis in rebus veram vitae felicitatem quaerendam esse, quibus plerumque homines student, divitiis, potentia, voluptate, quum per se bona illa eam animi tranquillitatem atque aequitatem nobis conciliare non possint, in qua una vitae nostrae beatitudo nititur. Quin imo saepenumero curas potius quam animi tranquillitatem nobis parant, nam

„Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorumque fames" [1])

Ac si quis opes Arabiae et Indiae possideat, totiusque Tyrrheni et Apulici maris imperium teneat, nunquam

---

[1]) carm. III, 6, 17.

tamen animum metu liberare mortisque laqueis caput expedire possit: [1])

„Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultos
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes." [2])

Quam eandem sententiam alio quoque loco profert, carm. III, 1, 41, sqq.

„Dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum"

et in eodem carmine v. 37 haec leguntur:

... „Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra cura."

In nobis igitur ipsis, non extra nos, ea nobis quaerenda sunt, quae veram nobis felicitatem comparare vitam que nostram veram vitam reddere possint. Quapropter stultum est, eas res sectari, quae extra nos sunt, quum nosmetipsos effugere nequeamus. [3]) Nec quisquam ante fortunam speratam assequetur, quam insit in eo pectus bene praeparatum. [4]) Frustra contendimus in terras, alio sole calentes, nam „patriae quis exsul se quoque fugit," [5]) et „caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt." [6])

1) carm. III, 24, 1 sqq.
2) carm. II, 16, 9 sqq.
3) cfr. I, 16, 13.
4) carm. II, 10, 15.
3) carm. II, 16, 18 sqq.
6) epist. I, 11, 27.

Is demum vera sapientia utitur, qui in omnibus vitae condicionibus constantem animi aequabilitatem servat, omnes animi perturbationes placare, virtutem assequi studet. Quae animi aequabilitas, ut dicit Wielandius,[1]) id est, ad quod omnis Horatii philosophia dirigitur, ad quod semper ipse recurrit, regula, secundum quam vivit, arcanum, cui felicitatem suam debet, una ars semper gaudendi, quam usus comprobavit. Quamobrem mirum non est, quod Horatius saepius de animo illo aequo loquitur, ut epist. I, 11, 29 sq.

.... „Quod petis hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.“

epist. I, 18, 111 sq.

„Sed satis est, orare Jovem, quae ponit et aufert;
Det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo,“

multis denique aliis locis, quos omnes afferre longum est.

Rebus quoque adversis servanda est illa animi aequitas neque minus rebus secundis caveamus oportet, ne nimio gaudio nos dedamus. Comparatur autem ea tranquillitas animi, qua super res extra nos positas nos attollimus, quaque sola vitae felicitatem assequi possumus, vera animi eruditione atque disciplina. Quam sententiam optime Hotius exponit epist. I, 1, 33 ubi haec leguntur:

„Fervet avaritia miseroque cupidine pectus:
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes, sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.“

---

1) ad epist. I, 6, 1.

Eodem modo epist. I, 2, 32 sqq. postquam vitam libidinosam atque omnis generis voluptatibus deditam descripsit, in pueris jamjam praecepta sapientiae et virtutis confirmanda esse, gravissime monet. Sic ubique quaestionem ab ipso propositam: „virtutem doctrina paret, naturane donet“ [1]) ea ratione solvit, ut studium philosophiae omnino ad virtutem adipiscendam necessarium esse dicat; ratio enim ac prudentia curis nos liberant [2]) neque quisquam sine sapientia beatus esse potest.[3]) Quam suam sententiam accuratissime et philosophi fere ratione exponit in epistola ad Numicium scripta (epist. I, 6). Ubi „nil admirari“ Numicium monet unam solamque esse rem, quae nos reddere ac servare beatos possit; cavendum igitur nobis est, ne ullius rei prava cupiditate percellamur, quum ex eo, quod aliquid ut magnum aut utile aut necessarium admiramur, fiat, ut illud cupiamus ac prosequamur. [4]) Quae nihil admirandi ars ex rebus recte aestimandis oritur atque ut res recte aestimemus, eo modo assequi possumus, ut virtutem et summum et verum et unum bonum esse nobis persuadeamus. Quum enim multi homines, inter quos haud dubie Horatium quoque recensendum esse, jam antea diximus, res coelestes, quas imperiti vehementer admirantur, solem, stellas, constantem temporum cursum aequissimo animo contemplentur (v. 3—5), quanto magis ceterae res despiciendae sunt, multo illis caelestibus inferiores multoque minus, quam illae admiratione dignae! Quem in numerum referenda sunt munera terrae et maris (v. 5—6), spectacula omnis generis, quibus tunc temporis Romanos maximopere deditos fuisse

1) epist. I, 18, 100.
2) epist. I, 11, 25.
3) epist. I, 16, 20.
4) cf. Wielandii annot. ad l. l.

constat, plausus denique et honores, populi Romani suffragiis et favore parti (v. 7—8). Adeoque omnibus, qui virtutem ac vitam beatam assequi student, cavendum est, ne modum excedant, ut nimium vel virtutis studium vituperatione dignum sit habendum, nam

„Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra, quam satis est, virtutem si petat ipsam“ [1]),

Quodsi autem virtus ipsa nisi moderate et animo a perturbationibus vacuo appetenda non est, quid est censendum de iis, qui aurum atque argentum, aera pretiosa et artificiosa, gloriam oratoriam, divitias semper ampliores appetunt, quum omnes res humanas fragiles atque caducas esse constet! [2]) Quamobrem si quis beate se vivere cupit, id quod unumquemque cupere necesse est, id unum semper agat atque teneat, ut virtuti operam det, in eo studio totus sit et quam celerrime operi manus admoveat. Si autem quis aliis in rebus vitae felicitatem consistere putat, in divitiis, honoribus, voluptatibus epularum, gaudiis amoris, hac via beatus fieri studeat, modo in stultitia saltem sua constantiam quandam servet. Summum igitur bonum Horatius virtutem esse censet, in qua vitae felicitas nititur, et cui unusquisque studere debet. Quod ut fieri possit, ante omnia opus est, ut ea removeantur, quae virtuti inimica atque ab ea aliena sunt; a vitiis igitur primum eum recedere oportet, qui virtutem assequi vult, nam

„Virtus est, vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse“ [3])

Neque ulla mora interponenda est, quin ad haec

---

1) epist. I, 6 16 sqq.
2) epist. I, 6, 19—29.
3) epist. I, 1, 41.

vitia removenda aggrediamur, id quod optime exponit in epistola ad Lollium scripta:

„Nam cur
Quae laedunt oculos, festinas demere, si quod
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit, habet; sapere aude;
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus expectat, dum defluat amnis, at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.“ [1])

In hac una igitur re totius vitae nostrae praesidium ponendum est, ut nullius nobis flagitii conscii simus; haec nostra arx, hoc propugnaculum esto contra omnes fortunae impetus, ut nullum sceleris ullius conscientiam suscipiamus neque quidquam in nos admittamus, quo nos erubescere et pallere oporteat. [2]) Qui enim est „integer vitae scelerisque purus“ non jaculis ille, neque arcu, neque sagittis venenatis eget ad se tuendum, „licet per Syrtes aestuosas vel per vasta deserta iter faciat. [3]) Qui autem scelus aliquod in se admisit, is neque divitiis neque voluptatibus ullis vitae felicitatem sibi conciliare potest, nam

„Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent.“ [4])

Vitiis igitur, quod prae ceteris necessarium est, remotis, id agendum est sapienti, ut mentem suam animumque

---

1) epist. I, 2, 37 sqq.
2) cf. epist. I, 1, 61.
3) carm. I, 22 init.
4) carm. III, 1, 17 sqq.

vitae suae consentanea reddat, ita ut omnes perturbationes ac discrepantias abjiciat, omnibusque in rebus constantiam servet. Quod ut fieri possit, hominem voluptatibus imperare, non se ab illis regi sinere necesse est:

„Animum rege; qui nisi paret,
Imperat; hunc frenis hunc tu compesce catena.“ [1])

Minime tamen sapientis est, appetitus a natura insitos, penitus opprimere, quum, si hoc fiat, condicionem naturae haud consentaneam exsistere necesse sit, quacum aequitas illa tranquillitasque animi, quam ad beate vivendum omnino necessariam esse vidimus, constare non possit. Quapropter sapiens multo magis, quam ceteri homines „auream illam mediocritatem“ [2]) sequitur, qua neutram in partem modum excedit; virtutem ille putat esse „medium vitiorum et utrimque reductum“ [3]) et omnibus rebus modum quendam certosque fines inesse censet „ultra quos citraque nequit consistere rectum.“ [4]) Ut igitur medium semper tenendum est inter audaciam et temeritatem, inter avaritiam et luxuriam, inter superbiam in rebus secundis et desperationem in rebus adversis, sic etiam, qui virtuti studet, modum teneat necesse est, et Horatius ipse beatus sibi videtur, quod sibi contigerit, ut auream illam mediocritatem invenerit, quum ipse de se epist. II, 2, 201 haec dicat:

„Non agimur tumidis velis Aquilone secundo:
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris,
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.“

---

1) epist. I, 2, 62.
2) carm. II, 10, 5.
3) epist. I, 18, 9.
4) epist. I, 1, 106.

Qui vero sapientiae studio adductus eo jam pervenit, ut sui semper imperium teneat, animumque catenis compescat, is multo minus rerum externarum dominationem dimittet. Quam sententiam ab Horatio optime prolatam esse videmus verbis, quae sunt epist. I, 1, 19, ubi de se ipse praedicat „mihi res, non me rebus subjungere conor." Sapienti autem quum omnino cavendum sit, ne ex rebus externis pendeat et sub earum ditionem veniat, maxime earum rerum imperium vitandum est, quas praecipue homines sectantur atque appetunt, aurum argentum, splendorem honores, gaudia voluptates. Nihil igitur Horatius antiquius habet, quam ut identidem nimium illarum rerum studium cavendum esse aequales praemoneat, quamque stultum illud sit, ante oculos iis ponat, neque in carminibus minus lyricis, quam in satiris atque epistolis „per humum potius repentibus" [1]) permulti loci, in eam rem spectantes, inveniuntur. Ac prae ceteris quidem vitiis avaritiam impugnat, cui plerique aequalium dediti aurum argentumque insatiabili cupiditate appetebant. Cum hydropico avarum Horatius comparat, quum, ut ille, quo plus bibit, eo magis siti vexatur, avari quoque cupiditas magis magisque novis quaestibus augeatur. [2]) Neque ullam avaris opes corrasae utilitatem praebent, quum, ne minuantur, iis uti vereantur, quamobrem

„Qui cupit aut metuit, juvat illum sic domus et res,
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
Auriculas citharae collecta sorde dolentes. [3])

Tantali instar ille fame sitique confectus copiis vel

[1]) epist. II, 1, 250.
[2]) carm. II, 2, 13 sqq.
[3]) epist. I, 2, 51 sqq.

maximis circumdatus est.[1]) Quo fit, ut si in quem morbum inciderit, nemo misericordia commoveatur, ut opem ei ferat; neque uxor nec liberi salvum eum esse volunt; omnes eum oderunt, neque quisquam, quem non meretur, amorem ei praestat.[2]) Quin imo insaniae est,

„Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis — nihil est, tercentum milibus, acre
Potet acetum: age, si et stramentis incubet unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca.“[3])

Avarus homo in servitutem libidinum suarum prolabitur, perdidit arma, locum a duce, i. e. a virtute sibi attributum deseruit, quum semper divitiis augendis operam det tandemque ipsis divitiis obruatur.[4]) Nullius argentum pretii est, nisi prudenter ea utimur,[5]) nam aut pecuniae nosmet ipsi domini sumus, aut suos nos pecunia servos reddit, quamquam secundum suam naturam non ad imperandum, sed ad serviendum instituta est, „tortum digna sequi potius, quam ducere funem.[6]) Quamobrem beatissimus putandus est is, qui maxime divitiis scit abstinere; ille solus vere dives est;[7]) continentia sola felices nos reddere potest atque is

---

1) sat. I, 1, 68.
2) sat. I, 1, 80 sqq.
3) sat. II, 3, 111 sqq.
4) epist. I, 16, 68 sqq.
5) cf. carm. II, 2 init.
6) epist. I, 10, 48.
7) cf. carm. III, 16, 21; II, 16, 12.

demum, qui contentus est, vera utitur libertate.[1]) Quae quum sit ejus sententia, Horatius ipsi Maecenati, cui permultis beneficiis obligatus erat, clarissimis verbis dicit, se ne maximis quidem praemiis adduci posse, ut libertati suae renuntiet, neque, si quando opus sit, omnia dona, ab illo accepta, reddere se dubitaturum esse.[2]) Facillime enim is beate vivit, qui satis iis rebus instructus est, quibus ab inopia se defendere potest, quum qui multa habet, plura concupiscat, eique qui multa appetit, multa desint, quapropter

„bene est, cui deus obtulit
Parca quod satis est manu,“[3])

et „quod satis est, cui contingit, nil amplius optet.“[4]) Pari quo avaritiam studio poëta duo alia vitia impugnat, quibus illa aetas laborabat, voluptatum studium atque honorum. Sic cum asperitate quadam et acerbitate, quae nostri temporis ingenio non omni ex parte convenit, sat. I, 2 stultitias hominum in explendis libidinibus exponit ac reprehendit, similique modo sat. II, 4, de quo carmine jam supra egimus, voluptates heluonum illorum vituperat, qui omnem vitae felicitatem in edendo ac bibendo collocatum esse putabant. Quae contra sat. II, 2 praeceptis, quae Ofellus rusticus, „abnormis sapiens crassaque Minerva,“[5]) profert honesta mediocritas laudatur, quae aeque abest a luxuria illa atque heluatione, cui Horatii temporibus, quum omnino mores laberentur, permulti Romanorum dediti erant, atque a parsimonia nimia, a nonnullis usque ad sordidam avari-

1) epist. I, 16, 63.
2) epist. I, 7, 34 sqq.
3) carm. III, 16 extr.
4) epist. I, 2, 46.
5) l. l. v. 3.

tiam adducta.[1]) Eodem modo sat. I, 6 nimium honoris studium perstringitur, quo plerique adducti ad altiora, quam justum est, nituntur, nam

... „fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis.“[2])

Suam poëta ipse vitam liberam esse dicit misera gravique ambitione,[3]) suaque condicione se beatius vivere putat, quam si „quaestor avus pater atque patruusque fuisset.“[4]) Sapiens enim, quum honores minimi faciat,[5]) hac ipsa de causa vera fruitur libertate, quum paupere sub tecto beatior sit, quam reges regumque amici.[6])

„Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.“[7])

Quamvis autem sapiens virtutis studio deditus a mundo rebusque externis liberum se reddere studeat et in se ipso totus nitatur, tamen tantum abest, ut ab omni voluptate prorsus abhorreat, ut grata mente, quoquo modo fieri potest, vitae suavitati consulat. Nec mirum, quum omne ejus studium illuc ipsum spectet, ut vitam beatam sibi comparet. Intelliguntur haec ex iis, quae Horatius ipse dicit:

„Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam nimiumque severus
Assidet insano; potare et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi,“[8])

---

1) cf. sat. II, 2, 53—62.
2) sat. I, 6, 23 sqq.
3) sat. I, 6, 129; cf. sat. II, 6, 18.
4) sat. I, 6, 131.
5) sat. II, 7, 85.
6) epist. I, 10, 33.
7) epist. I, 17, 9 sqq.
8) epist. I, 5, 13 sqq.

quae verba ad M. Torquatum. scripta sunt, quem Horatius ad convivium familiare invitat. Ac quis ignorat magnum illum numerum levium quidem sed pulcherrimorum carminum, quibus Horatius aequales ad laetum vitae usum commonet! Illum solum sui potentem laetumque vivere putat, cui in diem dicere liceat, se vixisse. [1]) Neque in tempus posterum vitae usus differendus, sed

„quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, neu dulcia differ in annum,
Ut quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.“ [2])

Itaque animo tranquillo atque aequo sapiens tempus futurum expectat; nemo enim mortalis, quid posterum tempus laturum sit, cognitum habet, quum „prudens Deus caliginosa nocte exitum ejus presserit“ [3]) Quare stultum est, vana temporis futuri cura vitae suavitatem sibi ipsum contaminare, et

„Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare et amara lento
Temperet risu.“ [4])

Atque quum calamitate quadam sapiens afficitur, non in imparatum illa incidit, quum pectus ejus sit bene praeparatum; [5]) patienter ille quidquid accidit sapienterque fert, nam „levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas.“ [6]) Quo fit, ut aequitas animi sapientis non ex fortuna pendeat, de qua pulcherrime Horatius:

---

1) carm. III, 29, 42.
2) epist. I, 11, 23 sqq.
3) carm. III, 29, 30.
4) carm. II, 16, 25 sqq.
5) carm. II, 10, 14.
6) carm. I, 24, 20 sqq.

Laudo manentem; si celeres quasit
Pennas, resigno, quae dedit, et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.[1])

Ne brevitas quidam vitae curam poetae nostro affert, sed monet eum potius, ut quam optime possit, hac vita tam brevi utatur. Quum enim unumquemque diem supremum sibi concessum esse putet, grato animo quavis hora fruitur, quae non sperata ei contigit;[2]) tranquillo quoque animo mortem expectat, idque agit, ut in fine vitae dicere possit, se bene beateque vixisse et

„exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur.“[3])

Sed haec hactenus. Sufficere jam ea, quae diximus, videntur ad ethicas Horatii sententias cognoscendas, restat, ut de ratione agamus, quae inter eas et Stoicos Epicureosque intercedat. Summum bonum Epicureos voluptatem duxisse constat, summumque malum dolorem, ita ut omnia, quae facimus, ex eorum sententia ea mente facienda sint, ut neque cura neque dolore afficiamur. Plurimi facienda est voluptas animi, quae in eo cernitur, ut sapiens constanti animi tranquillitate fruatur omnibusque rebus externis cunctisque fortunae vicissitudinibus superiorem se esse censeat. Maxime igitur unicuique studendum est, ut ex nemine et ex nulla re pendeat, omnes ex vita sua perturbationes, omnem periculorum metum removeat; hoc uno enim modo voluptas animi oritur, quacum virtus artissime

---

1) carm. III. 29, 53 sqq.

2) epist. I, 4, 13. Sententia huic simillima invenitur apud Terent. Phorm. II. 3, 21,

3) sat. I. 1, 118 sqq.

conjuncta est. Beate enim vivere Epicureorum ex sententia nihil aliud est, quam cum virtute vivere, ita ut virtus non per se et sua ipsius causa appetenda sit, sed quia cum virtute solum vita beata esse potest, virtutemque voluptas illa sequitur. — Diversa ab his sunt, quae Stoici in ethicis praecepta dabant. Quibus summus vitae humanae finis est, ut naturae congruenter unusquisque vivat; [1]) sua igitur cuique propria studia negligenda sunt, communique quadam omnis societas humana lege obligatur, cui pro sua quisque parte se subjiciat necesse est. Quod qui facit, virtutem assequitur, quae sua ipsius causa appetenda est, non propter fructus, qui ex ea proveniunt.[2]) In eo autem Stoici cum Epicureis consentiunt, quod ab omnibus perturbationibus animum esse liberandum ipsi quoque censent. Libidines enim sunt inimicissimae virtuti, quippe quibus animus praeter naturam perturbetur, quare sapiens et dolendo et cupiendo sese abstinet. [3]) In sapiente ex Stoicorum sententia virtus quasi incorporata esse videtur, ita ut ille omnibus in rebus solus perfectus sit; est sapiens optimus rex, optimus imperator, optimus artifex; solus ex omnibus hominibus ratione utitur, quum alii omnes stulti sint atque insani.

Quibus cum sententiis si ea comparamus, quae Horatium de ethicis censere vidimus, eum quoque sibi persuasisse cognoscimus, quod Stoicis et Epicureis erat commune, unam rationem, qua vitae felicitatem assequi possimus, in constanti animi tranquillitate et in defendendis omnibus perturbationibus, quae et extrinsecus et in nobis ipsis oriuntur, positam esse, quam sententiam in eo, de quo diximus

---

1) cf. Cic. de off. III, 3, 13.
2) cf. Zeller, Philos. graec. l. l. pag. 408.
3) ibid. pag. 425 sqq.

„nil admirari“ contineri intelleximus. Quod vero ad rationem attinet, quam ad hunc finem assequendum ineundam esse censet, Horatius haud dubie Epicureorum magis quam Stoicorum partes sequitur. Horatius enim hominibus id semper studendum esse monet, ne aliunde pendeant utque semper rerum externarum imperium teneant; virtutem quoque colendam esse censet non tam, quod in ipsa virtute felicitas posita sit, sed quia maxima illam commoda sequantur. Sua deinde cuique propria studia minime prorsus opprimenda sed tantum coercenda sunt, ne sub eorum animus ipse dominationem veniat. Ac quum Stoici summo cum studio singulos homines universitati sese subjungere debere contendant, quum „quae in terris gignantur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos“ [1]) putent, Horatius Epicuream rationem secutus ex hominum societate, quantum fieri possit, singulis recedendum esse censet, ut „sibi res, non se rebus subjungant.“ [2]) Qua ex re intelligitur, cur vitae rusticae Horatius tanto cum studio indulgeat, [3]) a negotiis publicis sese removeat, „secretum iter et fallentis semitam vitae“ expetenda esse censeat. [4])

Quae quamvis ita se habeant, gravissimo in errore versetur, si quis Horatium inter Epicureos recensendum esse putet, quod ethicae ejus sententiae cum eorum praeceptis quodammodo congruunt. Nunquam ab illo voluptatem summum bonum judicatum esse videmus, qua in re tota Epicureorum ethica nititur, contra saepe cum Stoicis

---

[1]) Cic. de off. I, 7, 22.
[2]) cf. epist. I, 1, 19.
[3]) cf. epist. I, 10, 2 et 14; I, 14, 10; sat. II, 6, 60.
[4]) epist. I, 18, 103.

facere videtur, ita ut virtutem summum bonum habeat. Summa cum gravitate, ita ut Stoicum fere dicere putes, in clarissimis illis maxime carminibus, quae in initio libri tertii carminum posita sunt (carm. III, 1—6) praecipua impugnat vitia, quibus aetate illa Romanorum respublica laborabat, et praeterea quoque permultis locis ethicis ejus sententiis cum Stoicorum praeceptis similitudinem quandam esse, negari nequit. Denique negligendum non est, ad eundem fere finem, quamvis diversa ratione, utramque disciplinam spectare, quum in eodem fundamento utraque nitatur, ut nisi constanti animi tranquillitate vitae felicitatem neminem assequi posse putent.[1])

Ad finem pervenimus in philosophia Horatiana perspicienda, ac reliquum est, ut jam summam eorum, quae diximus, paucis complectamur. Praecipue illum ethicis quaestionibus operam dedisse, omninoque in philosophia se neque ulli certae disciplinae addixisse vidimus, neque proprie philosophum esse, quod a poeta alienissimum esse videtur. Qui quum satis non habeat, veritatis speciem animo videre, ut philosophi, effigiem sibi quaerendum esse putat, ita ut melius quam Crantor et Chrysippus belli Trojani scriptor eum doceat, quid malum vel bonum, utile vel noxium sit,[2]) quia illustribus ille exemplis verum ante oculos nobis ponit. Sic Horatium quoque in poematis suis, ac praecipue in satiris, saepissime certas quasdam personas inducere constat, quae tum Romae in omnium ore atque sermone versabantur, quorum exemplo, quanta in vitiis stultitia insit atque perversitas, demonstrare studet. Cujus rei ut exempla nonnulla afferam, ubi de avaritia praemonere vult, proponit

---

1) cf. Zeller, l. l. pag. 409.
2) epist. I, 2 init.

Ummidium, qui quamvis tantas opes possideat, ut modio nummos metiri possit, tamen usque ad mortem semper metu exagitatur, ne fame pereat;[1]) ubi luxuriam perstringere vult, Nomentanus documento est, qui rem familiarem, a patre traditam, temere profudit;[2]) et sic uniuscujusque vitii exemplum aliquod habet,[3]) quo, quam detestabile illud ac perniciosum sit, optime demonstrat. Praeterea omnino constat, Romanos philosophiam a Graecis receptam, plerumque non illorum modo arte quadam ac ratione excoluisse, sed ad vitae potius usum praecepta ejus contulisse, qua in re, quod suo cuique ingenio aptissimum esse videbatur, sibi elegit.

1) sat. I, 1, 95 sqq.
2) sat. II, 3, 224 sqq.
3) cf. Estré, Horatiana prosopographeia, pag. 547 sqq.








Widener Library
007155836
3 2044 085 205 151